



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XIV. De quorundam deuotorum ardenti desiderio, ad Corpus Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

Deo meo totaliter tribuam, & intimè  
coniungam. Tunc exultabunt omnia  
interiora mea, cum perfectè fuerit  
vnita Deo anima mea. Tunc dicet  
mihi: Si tu vis esse mecum, ego volo  
esse tecum. Et ego respondebo illi:  
Dignare Domine manere mecum, ego  
volo libenter esse tecum. Hoc est to-  
tum desiderium meam, vt cor meum  
tibi sit vnitum.

## CAP. XIII.

*De quorundam deuotorum ardenti  
desiderio, ad Corpus Christi.*

VOX DISCIPULI.

**Q**UAM magna multitudo dul- Psal. 30  
cedinis tuæ Domine, quam  
abscondisti timentibus te! Quando  
recordor deuotorum aliquorum, ad  
Sacramentum tuum Domine, cum  
maxima deuotione, & affectu acce-  
dentium, tunc sæpiùs in me ipso con-  
fundor, & erubesco: quòd ad altare  
tuum, & sacræ Cõmunionis mensam,  
tam tepidè & frigidè accedo. Quòd  
ita aridus, & sine affectione cordis  
maneo. Quòd non sum totaliter ac-  
census

census coram te Deo meo; nec ita vehementer attractus & affectus, sicut multi deuoti fuerunt, qui præ nimio desiderio Communionis, & sensibili cordis amore, à fletu se non potuerunt cōtinere: sed ore cordis & corporis pariter, ad te Deum fontem viuum medullitus inhiabant, suam esuriam non valentes aliter temperare nec satiare, nisi Corpus tuum cum omni iucunditate & spiritali auiditate accepissent.

2 O vera ardens fides eorum, probabile existens argumentū sacræ præsentia tuæ. Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis, quorum cor tam validè ardet in eis, de Iesu ambulante cum eis. Longè est à me sæpè talis affectus & deuotio, tam vehemens amor & ardor. Esto mihi propitius Iesu bone, dulcis & benigne: & concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui, in sacra Communionem sentire, vt fides mea magis conualescat, spes in bonitate tua proficiat, & charitas semel perfectè accensa, & cæleste manna experta, nunquam deficiat.

3 Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi præstare, & in spiritu ardoris, cum dies beneplaciti tui venerit, me clementissimè visitare. Etenim licet tanto desiderio tam specialium deuotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magni inflammati desiderij, desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium feruidorum amatorum tuorum, participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

## CAP. XV.

*Quòd gratia deuotionis, humilitate  
& sui ipsius abnegatione, acquiritur.*

## VOX DILECTI.

**I**PORTET te deuotionis gratiam instantè quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conseruare, studiosè cum ea operari ac Deo terminum & modum supernæ uisitationis, donec ueniat, committere. Humiliare præcipuè te debes, cum parum aut nihil deuotionis interiùs sentis; sed non nimium de-